



**H**einricus filius fuit Magni principis Megalo-  
 polensis, qui sapientia, magnitudine animi,  
 pietate, iustitia, & alijs virtutibus inter Germanos  
 principes plurimum excelluit. Natus est autem  
 Anno 1478. Postea Heinricus in pueritia præcep-  
 toribus pijs & doctis traditus, vt in literarum stu-  
 dio honestè educaretur, quarum cognitio ei postea  
 in gubernatione magno vsui fuit. Postquam verò  
 decimumquartum ætatis annum attigisset, assidue  
 deinceps à patre vnà in senatum & deliberationes  
 de rebus grauissimis ducebatur, vt à primis statim  
 annis prudētia & consilio alijsq; uirtutibus in prin-  
 cipe necessarijs imbueretur. Postea missus est in  
 aulam Friderici Marchionis Norici, filij istius Alberti, cui ab Heroica animi  
 magnitudine & rerum gestarum gloria Germanici Achillis cognomen attri-  
 butum est. Apud hunc Fridericum quum prima militiæ tyrociniâ Heinricus  
 ageret, ab Imperatore Maximiliano expetitus fuit. Is enim cernens naturam  
 adolescentis generosam, acrem, ingenuam, fidei ac iustitiæ amantem, mirifi-  
 cè eum complecti & amare cœpit, ac consuetudine ipsius familiari integros  
 sex annos assidue vsus est. Quare animus Heinrici per se generosus magis  
 tam illustri Cæsaris exemplo incitatus, eius virtutes imitari ac confirmare fa-  
 cilè potuit.